

„mendacium , nisi scripti in libro vitæ Agni. Et ostendit mihi flumen aquæ vitæ , sicut crystallum , exiens à throno Dei & Agni. In medio plateæ ejus , & ex utraque parte fluminis lignum vitæ , faciens fructus XII , „per singulos menses reddens fructum suum , & folia ligni in curationem gentium : & omnis languor non erit adhuc. Thronus Dei & Agni in ea erit , & servi ejus servient ei. Et videbunt faciem ejus : & nomen ejus in frontibus eorum. Et nox non erit amplius , & non egebunt lumine lucernæ , & lumine Solis , quoniam Dominus Deus inluminat eos , & regnabit super eos in sæcula sæculorum. Amen.” *Finit historia.*

## EXPLANATIO SUPRAScriptÆ HISTORIÆ.

**H**AEC Jerusalem Ecclesiam dicit , & recapitulat à Christi passione usque in diem quo resurgat , & cum Christo juncta coronetur in gloria. Miscet utrumque tempus , nunc præsens , nunc futurum : & cum quanta gloria suscipiat à Christo , & separata ab omni malorum incursu , plenius declaratur. Recapitulat ab origine , dicens : *Et vidi cælum novum , & terram novam. Primum enim cælum , & terra abiit , & mare jam non est.* Hæc ita ut scribuntur , ut ita sint , Isaia testante cognoscimus , qui ex sermone Domini loquitur , dicens : *Ecce ego creo cælum novum , & terram novam;* *& non erunt in memoria priora , & non ascendunt super cor.* Sed gaudebitis & exultabitis usque in sempiternum , in his quæ ego creo. Cælum novum est Ecclesia : quia ex quo Christus carnem assumpsit , cælum novum , & terram novam creavit. In cælo spiritum dicimus , & in terra carnem. Primus Adam factus fuerat in animam viventem : secundus Adam in spiritum vi-

Isai. 65.  
v. 17.1. Cor. 15  
v. 45.

vificantem. Completo tempore , ascendit in crucem , & mortuus fuit pro totius mundi salute. Cujus exempla sequens Ecclesia , renovatur in cognitione veritatis de die in diem ; per quam renovationem præsentis sæculi fulgebit in diem judicii , cum in hac carne qua patitur , jam non in tempestate maris istius sæculi , sed in gloria renovabitur , sicut dicit : *Et civitatem sanctam Ierusalem novam vidi descendentem de cœlo à Deo , compositam sicut sponsam ornatam viro suo. Jerusalem cælestis multitudo Sanctorum est , quæ cum Domino dicitur esse ventura.*

*Zach. 14. v. 5.* *Sicut Zacharias ait : Ecce Dominus Deus meus veniet , & omnes Sancti cum eo. Hi præparant Deo habitationem mundam , & qui habitant cum eo : sicut sponsa ornata viro suo , sic ornatæ sanctitate & justitia procedent conjungendi Domino suo , & in æternum manstiri cum eo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus , & habitabit cum ipsis. Et ipsi populus ejus erunt , & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et abs terget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : & mors non erit ultra , neque luctus , neque dolor erit amplius , neque clamor : quæ prima fuerunt , transierunt. Omnia hæc spiritualiter intelligenda sunt. Jam enim [istic] cæli vita vivitur , non præsentis sæculi , quia non separantur isti cæli à superioribus , sicut ] scriptum est:*

*Philip. 3. v. 20.* *Nostra conversatio in cælis est ; unde Dominum Iesum Christum expectamus. Et Dominus testimonium sibi reddit , quod multitudo Sanctorum ipsius tabernaculum fiat , & habitet cum eis in æternum , sitque eorum Dominus , & ipsi sint populus ejus. Omnem fletum , omnemque lacrymam ipse aufert de oculis eorum , quos æternis remunerat gaudiis , & in perpetua beatitudine facit esse perspicuos. Et qui sedebat in throno ait :*

*Ecce nova facio omnia.* Sic & Apostolus ait: Quæ ergo in Christo nova creatura. Sive & de futuro promissio fit Sanctis Altissimi ut in omnibus innoventur, atque omni splendore resulgeant. Inde & Apostolus dicit, quod mortui resurgent incorrupti, & Sancti mutantur in gloria. Et dicit mibi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera. Et dixit mibi: Factum est: Ego sum alpha & omega, initium & finis. Ego sicut dabo aquam ex fonte vitae gratis; id est, cupientibus remissionem peccatorum per fontem baptismi. Aqua non solum simpliciter nominatur, quæ sine Spiritu Sancto esse non potest, quia & Spiritus Sanctus nomine aquæ appellatur in Evangelio, Domino clamante & dicente: Si quis sedit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus. Evangelista autem exposuit unde diceret; secutus enim ait: Hoc enim dicebat de spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Sed aliud est aqua sacramenti visibilis, & aliud Spiritus Sanctus invisibilis.. Ista abluit corpus, & significat quod fit in anima: per illum autem Spiritum Sanctum ipsa anima mundatur & signatur. Spiritus Sanctus, pro qua re ad nos mittitur, multis nominibus appellatur. Spiritus Sanctus ideo dicitur, eo quod nobis aliquid, sive ad timorem Domini, sive ad Scripturas interpretandas, inspirat. Spiritus Sanctus ex opere etiam Angelus intelligitur, eo quod nobis inspirando quasi adnuntiat. Paraclytus dicitur, eo quod nos in tribulatione consolatur. Paraclysis enim græcè, latine consolatio dicitur. Alii paraclytum latinè, oratorem, vel advocationem interpretantur. Spiritus Sanctus *Donum* dicitur, quia nobis unicuique per mensuram datur. Spiritus Sanctus *Caritas* dicitur, quia nos in unum conjungit. Spiritus Sanctus *Columba* dicitur, quia nos sim-

*2. Cor. 5.  
v. 17.*

*1. Cor. 15  
v. 52.*

*Ioann. 7.  
v. 37.*

plices facit. Spiritus Sanctus *Ignis* dicitur, quia nos in unum calefacit. Spiritus Sanctus *Unctio* dicitur, quia nos ad prædicandum docet, & ipse est in nobis unctio invisibilis. Spiritus Sanctus *Digitus Dei* dicitur, quia in tabulis cordis nostri verba suæ legis scribit, sive ut ejus operatoria virtus cum Patre & Filio significetur.

*1. Cor. 12. v. 11.* Unde & Paulus ait: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Proinde *septiformis* nuncupatur, propter ea dona, quæ à divinitatis ejus plenitudine particulatim quique, ut digni sunt, consequi merentur. Qui spiritus non est corpus, & tamen est: videtur stare, ut spiritus sit. Sicut autem post baptismum in Christo morimur, & renascimur; ita spiritu signamur quod est digitus Dei, & spirituale signaculum. De his dicit: *Qui vincit, possidebit hæc, & ero ejus Deus, & ipse erit meus filius.* *Timidis autem, & incredulis, & execrabilibus, & homicidis, & veneficis, & idolorum cultoribus, & omnibus mendacibus, pars erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.*

*Et venit unus ex septem Angelis habentibus septem phialas plenas septem plagarum novissimarum.* Plenas dixit phialas, quas supra in nono libro septem exposuimus effusas, ut si hic legens non intellexeris, ibi plenissime intelligas. Unde manifestum est hunc librum duodecimum, sicut supradiximus, recapitulatum à Christi passione. *Et loquutus est mecum dicens: Veni ostendam tibi sponsam uxorem agni.* Et abstulit me in spiritu supra montem magnum & altum. Montem magnum & altum Christum dicit; Propheta adtestante: *In illa die erit mons dominus Domini præparatus in vertice montium, id est, super Apostolos, quia & ipsi montes appellantur. In illa*

*illa die*, quod dicit, id est, à Christi passione usque ad secundum adventum ejus; quæ una dies dicitur de sexto die, quia sex diebus operatus est mundum, ita & pro sex mille annis sex dies posuit. Et in ista die sexti milliarii per baptismum & pœnitentiam dictum est, ut qui vicerit usque in finem, filius Dei appelletur, & malefactoribus ignis æternus, *quod est mors secunda*, præparetur. Repromittitur malorum ultio factorum suorum. Porro ab Angelo dicitur: *Veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni.* Et substulit me in spiritu in montem altum. Acsi diceret: Servus Dei, qui nunc est in Ecclesia spiritualis factus sum, & in contemplatione constitutus Deo me elevante. Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendente de cælo à Deo. Hæc est Ecclesia, civitas in monte constituta, sponsa Agni, quia non est alia Ecclesia, & alia civitas: quia una est quæ semper in pœnitentia de cælo descendit à Deo, quia filium Dei imitando in pœnitentia, descendere dicitur in humilitate. Sic enim filius Dei descendit de cælo, *qui cum Philip. 2. in forma Dei esset, formam servi adsumens, humiliavit se usque ad mortem.* Descensio filii Dei incarnationis ejus est. Hæc civitas quotidie à Deo descendit imitando Deum, id est, sequendo vestigia Christi filii Dei: & hanc civitatem sponsam dicit Agni. Unde manifestum est, ipsam esse Ecclesiam, quam sic describit, dicens: *Habentem claritatem Dei. Luminare ejus simile lapidi pretiosissimo, sicut lapidi in modum crystalli.* Lapis pretiosissimus Christus est. *Habens murum magnum, & altum.* Sciendum magnopere est, quia tanto unaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei, quanto pro amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos. Hinc ad Saul dicitur: *Nonne*

*houp*1. Reg.  
15.v.17.  
*cum*

cum parvulus essem in oculis tuis, caput te consti-  
 tui in tribus Israel? Acsì aperte diceret: Magnus  
 mihi fuisti, quando despectus eras tibi. Modò verò  
 magnus es tibi, despectus es mihi. Unde per Prophetam  
 dicitur: *Væ, qui sapientes estis in oculis ves-  
 tris, & coram vobis metipsis prudentes.* Tanto ergo  
 fit unusquisque vilior Deo, quanto plus fuerit pretio-  
 sior sibi: & tanto erit pretiosior Deo, quanto prop-  
 ter Deum fuerit yilior sibi, quia *humilia respicit, &*  
*alta de longe agnoscit.* Hic murus magnus erit & al-  
 tus, qui nunc sibi fuerit despectus. Luminare Dei  
 est cuncta prospicere. Sicut ad Natanael dicit: *Sub  
 quadam siculnea vidi te, id est, ab umbra legis  
 elegi.* Vedit ergo lapidem pretiosissimum, quia hu-  
 milia elegit. *Infirma enim mundi elegit Deus, ut con-  
 funderet fortia.* Vedit pretiosissimum lapidem Deus,  
 cum humanam animam de se abjectam, sapientem  
 gratiæ suæ illustratione respexit. De qua videlicet ani-  
 ma per Prophetam dicit: *Si separaveris pretiosum  
 à vili, quasi os meum eris.* Vilis quippe est Deo  
 mundus præsens: pretiosa verò est ei anima humana.  
 Qui ergo pretiosum à vili separat, quasi os Domini  
 vocatur: quia per eum Deus verba sua exerit, qui  
 ab amore præsentis sæculi quandoque potest huma-  
 nam animam evellere: & quia Testamenti novi Doc-  
 tores ad hoc usque perduicti sunt, ut occulta quæque  
 allegoriarum in calligine veteris Testamenti scrutarentur.  
 Et ideo recte subditur: *Habentem portas duodecim, &  
 super portas angulos duodecim, & nomina superscrip-  
 ta, quæ sunt nomina duodecim tribus Israel.* Supra  
 dixit enim: *Luminare ejus simile lapidi pretiosissimo,  
 simili crystallo.* Hic verò dicit: *Habentem portas duo-  
 decim; & in Prophetis legimus de eadem civitate,  
 quod*

quod Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, *Isai. 60.*  
*v. 19.* nec splendor Lunde illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Lumen ejus simile est lapidi pretioso, sicut lapis jaspidis, sicut crystallum. Sicut enim splendor in eo lapide est, nec extrinsecus irradiatur, sed naturali claritate perlucidum; ita civitas illa describitur nullo syderum fulgore illuminari, sed sola Dei invisibiliter luce illustrari. In crystalli autem candore baptismi significatur gratia rutilare. Et habebat murum magnum, & altum. Et Zacharias dicit: *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.* Quid tam magnum, tamque præcelsum, quam Dominum majestatis esse custodiam, & præsentiae suæ civitatem sanctam circumdare munimine? Quod autem dicit: *Habens portas XII. & super portas angulos duodecim, & nomina superscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel;* in Evangelio legitur, Dominum de se dicere: *Ego sum ostium. Si quis per me intrat, intrabit, & pascua inveniet.* Ergo janua Christus est. Duodecim verò portæ, & duodecim tribus Israel, duodecim Apostoli sunt, & XII Prophetæ; quæ est Ecclesia in duodenario numero constituta & firmata. Et hæ duodecim portæ ad unam portam majorem veniunt, quæ est Christus. Ergo janua Christus est. Principes autem fidei nostræ, id est, Apostoli, non janua, sed scripti in portis, hoc est, in januis releguntur; ut ostendatur Dominus Jesus Christus omnibus Sanctis extitisse janua veritatis; ut in fide Domini nostri Jesu Christi omnem Patriarcharum chorum mansisse, significet. Duodecim anguli portarum, & XII portæ, & XII fundamenta, in quibus nomina Apostolorum Agni scripta dicuntur, triginta & sex faciunt: quia tot horis

ris Dominum nostrum post passionem suam in sepulcro certum est jacuisse : ut ostenderet & anteriorum Prophetarum principium , & subsequentem turbam Apostolorum , quos una Domini fuisse fide & passione salvatos credimus , & in uno introitu per fidem Christi , qui est janua , ad agnitionem omnipotentis Domini pervenisse. Nam & ipsi Apostoli in XII fundamentis scripti referuntur , quia Christus est fundamentum , dicente Paulo : *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est , quod est Jesus Christus.*

*1.Cor. 3. v. 11.* Et ipse in singulis , & singuli in ipso constant. Do-

*Matth. 16. v. 18.* minus enim dicit : *Tu es Petrus , & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et scriptum est in verbis

*1.Cor. 10. v. 4.* Beatissimi Pauli , quod *petra erat Christus.* Ergo Petrus ille est cui Dominus loquebatur , *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ; id est , super fidem Dominicæ incarnationis , passionis , & resurrectionis.* Quod

*verò civitas in quadro posita est , in quatuor Evangelistarum ordine super Dominicam incarnationem ædificari notat Ecclesiam per quatuor mundi partes , sicut dixit : Ab Oriente portæ tres : ab Aquilone portæ tres : ab Austro portæ tres : ab Occidente portæ tres. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim , & super ea duodecim nomina Apostolorum Agni.*

Et quia ter quaterni duodecim sunt , Trinitatis mysterium quatuor mundi partes suscepisse significant. Cum verò ter duodecim , XII portas , & XII angulos , & XII nomina suprascripta dixit ; triginta sex Patres expressit , id est , XII Patriarchas filiorum Jacob , & XII Prophetas , & XII Apostolos ; & per omnem mundum scripta Patriarcharum , Prophetarum , & Apostolorum nomina , per legis & Evangelii fidem , confluisse demonstrat. *Et qui loquebatur mecum habebat*

*men-*

*mensuram arundineam auream, ut mensuraret civitatem, & portas ejus, & murum: & civitas in quadro posita est.* In arundine aurea homines & Ecclesiam ostendit, fragilem quidem, sed auream. In arundine fragilitatem humanam intelligimus; in auro vero sapientiam: & ipsam fragilitatem miramur, sicut Apostolus dicit: *Thesauros in vasis fictilibus habentes.* Mensuram namque quam dicit Ecclesiæ, spirituaueriter hoc in omnibus Sanctis intellige: & quia murum ignis in circuitu ejus Dominum esse jam diximus; in arundine aurea fidem incarnationis Domini nostri Jesu Christi esse dicamus: qui carnem fragilitatis humanæ adsumens, in exemplo salutis nobis est factus. Cujus propter puritatem & impeccantiam omni lucidius metallo extitit corpus: homo est, sed nullus ei similis inter filios extitit hominum: ipse solus est per quem mensura fidei & sanctæ civitatis integritas, ac portarum ejus mensura, & altitudo muri cognoscitur. *Et civitas in quadro posita est;* id est, in quadriformi Evangelistarum fide persistit. Tantæ latitudinis, quantæ etiam longitudinis esse narratur; ut nihil in fide ejus enorme, nihil additum, nihil minutum esse persentias. *Et longitudo ejus quanta & latitudo: & mensus est civitatem stadiorum duodecim.* Longitudo & latitudo ejus æquales sunt. Duodenarius ille numerus est decuplatus, id est, centum viginti animas, super quas Spiritum Sanctum igneis linguis legimus in unum congregatas descendisse. Cui numero conjuncti viginti quatuor seniores, centum quadraginta quatuor sunt: quem numerum, si legere & tractare volueris, in quarto libro plenissime recognosces. Ex hac arundine, quam corpus Christi esse sentimus, *mensus est,* inquit, *civitatem super stadia duodecim.* Fides enim Christi &

2.Cor. 4.  
v.7.

sanc-

sænti integritas populi per hæc duodecim stadia , id est , pér Apostolorum doctrinam , & Patriarcharum & Prophetarum fidem cognoscitur , & operatur : & ipsi dicuntur Ecclesia arundine auri mensurata , qui eos imitantur per fidem & per opera. Quia nihil valet fides , nisi fuerint & opera adjuncta. Qui dicit se in fide manere , & non operatur , facta dæmonum imitatur : & qui operatur , & fidem non habet ; nisi fidem adjunxerit , in vacuum & sine causa laborat. Sicut dicit : *Tanta enim erat longitudo quanta & latitudo ejus , æqualia universa. Nihil superfluum , nihil extrinsecus veniens reperitur in Sanctis : nihil minus invenitur in eis. Quod verò dicit duodecim stadia , quæ finiuntur passibus mille , & quinque stadiis ; quid in secretis spirituali intelligentia numerus iste contineat , videamus.* In Psalmis enim

*Ps. 104. v. 8.* legimus de lege Domini : *Verbi quod mandavit in mille generationes.* Hunc numerum computator recognoscat.

In hoc ergo numero totius computi plenitudo finitur , ut ostendat omnium Sanctorum plenitudinem septiformis Spiritus Sancti fide solidari. Quæ forma in virtutibus ,

*Isai. 11. v. 2.* non in specie continetur. Dicitur enim *Spiritus sapientiæ , & intellectus : Spiritus consilii , & fortitudinis : Spiritus scientiæ , & pietatis ; & Spiritus timoris Domini.*

Quem septiformem spiritum Prophetæ de cælestibus descendendo magis , quam ascendendo , numeravit , & de sapientia ad timorem descendit ; &

*Ps. 110. v. 10.* cum scriptum sit : *Initium sapientiæ timor Domini;* constat sine dubio , quia à timore ad sapientiam ascenditur : non autem à sapientia ad timorem redditur.

Quia nimis perfectam habet sapientia caritatem ; &

*1. Joann. 4. v. 18.* scriptum est : *Perfecta caritas foris mittit timorem.*

Propheta ergo , qui de cælestibus ad terrena loquebatur , à sapientia cœpit , & descendit ad timorem. Sed

nos,

nos , qui à terrenis ad cælestia ascendimus , eosdem gradus ascendendo numeramus , ut à timore ad sapientiam pervenire valeamus. In mente etenim nostra primus ascensionis gradus est timor Domini : secundus pietas : tertius scientia : quartus fortitudo : quintus consilium : sextus intellectus : septimus sapientia. Est enim timor Domini in mente ; sed qualis timor Domini est, si cum eo pietas non est ? Qui enim misereri proximo ignorat , qui compati ejus tribulationibus dissimulat; hujus timor ante omnipotentis Dei oculos nullus est, quia non sublevatur ad pietatem. Sæpe pietas per inordinatam misericordiam errare solet , & sic fortasse parcit pro negligentia quæ parcenda non sunt. Peccata enim quæ feriri gehennæ ignibus possunt , disciplinæ sunt flagello corrigenda. Sed inordinata pietas, cum temporaliter parcit , ad æternum incendium pertrahit. Ut ergo vera & ordinata sit pietas, ad gradum est alium sublevanda , id est , ad scientiam , ut sciat vel quid ex justitia flagellet & corripiat , vel quid ex misericordia dimittat. Sed si quis sciat quid agere quisque debeat , virtutem verò faciendi non habeat ; nec ei prodest. Et ideo dignum est , ut scientia nostra crescat ad fortitudinem ; ut cum videt quod faciendum est , hoc facere per mentis fortitudinem possit : ne timore trepidet , & pavore colapsa non valeat bona defendere quæ sentit. Sed sæpe fortitudo , si improvida fuerit , & minus contra vitia circumspecta , ipsa sui præsumptione in periculo ruit. Ascendat ergo ad consilium , ut prævidendo præmuniat omne quod facere fortiter potest. Sed esse consilium non potest , si intellectus ibi non est : quia qui non intelligit malum quod facientem gravat , quomodo poterit bonum solidare quod adjuvat ? Itaque à consilio ascendamus ad intellectum .

Ex Greg.  
in Eze-  
ch. lib. 2.  
Hom. 7.  
num. 7.

lectum. Sed quid si intellectus magno quidem acumine vigilet, & moderari se nesciat per maturitatem? Ab intellectu ergo ascendatur ad sapientiam; ut hoc quod acute intellectus invenit, sapientia mature disponat. Per hanc ergo septiformem gratiam omnes Sancti per duodecim portas Ecclesiam per quatuor partes mundi intrare dicuntur; id est, ab Oriente, ab Aquilone, à Meridie, & ab Occidente. Per Orientalem verò portam primitus Judaicus populus ingressus est, de cuius carne ille natus est, qui Sol justitiae vocatur. Per Aquilonis portam Gentilitas figuratur, quae in perfidiæ suæ frigore torpuit, & in cuius corde ille regnavit, qui attestante

*sai. 14. Propheta apud semetipsum dixit: Ponam sedem meam  
v. 13. ad Aquilonem. Ex Judæa enim & Gentilitate, sicut dic-  
tum est, ad sanctitatis culmen excreverunt. Quamvis  
intelligi per Orientem, & Aquilonem, etiam possint  
justi & peccatores. Oriens quippe non immerito justi  
nominantur: qui, sicut in luce fidei per baptismum na-  
ti sunt, in innocentia perstiterunt. Per Aquilonem verò  
rectè peccatores accipimus, qui in mentis frigore dilap-  
si, sub peccati sui umbra torpuerunt. Sed quia omni-  
potentis Dei misericordia etiam tales ad pœnitentiam  
revocat compunctione, & lacrymis lavat, virtutibus  
ditat, & usque ad perfectionis gloriam sublevat; non  
solum ad Orientem perfectionis centenario numero, sed  
etiam ad Aquilonem dicuntur, dum cum justis etiam  
peccatores per dona & pœnitentiam ad perfectionem ve-  
niunt. Ergo habere dicitur portam ad Aquilonem, quæ  
habet portam ad Orientem: quia & conversi peccato-  
res sic ditantur virtutibus, sicut illi sunt divites qui  
cadere in peccata vitaverunt. Unde & Psalmistæ voce*

*Ps. 101. per Dominum dicitur: Cinerem sicut panem manduca-  
v. 10. bam. In cinere peccatores dixit: in pane justos. Quia sic  
pœ-*

pœnitentes recipit, sicut justos. Scriptum quidem est de peccatoribus: *Si olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Cinis ergo sicut panis comeditur, quando ad auctoris sui gratiam peccator per pœnitentiam sicut innocens revocatur. Cuncta hæc in Orientis & Aquilonis porta jam dicta sunt: non congruit, ut ea exponendo replicemus. Notandum tamen nobis est quia in spirituali ædificio alter aditus ad Orientem, alias ad Aquilonem, atque alias ad Austrum patet. Sicut enim Aquilonis frigore peccatores, ita per Australem viam ferventes spiritu designantur, qui calore Sancti Spiritus accensi, velut in meridiana luce virtutibus excrescunt. Pateat porta ad Orientem, ut qui post fidem nulla vitiorum profunditate demersi sunt, ad gaudia secreta perveniant. Pateat porta ad Aquilonem, ut hi qui post inchoationem fidei caloris & luminis in peccatorum suorum frigore & obscuritate dilapsi sunt, per compunctionem pœnitentiæ ad veniam redeant, & quæ erit in æternum retributionis veræ lætitia cognoscant. Pateat porta ad Meridiem, ut hi qui sanctis desideriis in virtutibus fervent, spirituali intellectu quotidie interni gaudii mysteria penetrent. Inter hæc autem quæ potest, cum quatuor hujus mundi partes sint; cur ædificio huic non quatuor, sed tres (1) portæ esse memrantur? Quod rectum quærendum fuerat, si non spirituale, sed corporale ædificium vidisset. Sancta enim Ecclesia, id est, spirituale ædificium, tres solummodo portas habet: videlicet Fidem, Spem, atque Caritatem. Unam ad Orientem, aliam ad Aquilonem, tertiam ad Meridiem. Porta quippe in Oriente est Fides, quia per ipsam lux vera nascitur in mente. Porta ad Aquilonem

Nn est

(1) Tres, scilicet, a singulis mundi partibus.

est Spes, quia unusquisque in peccatis positus, si de  
venia desperaverit, funditus perit: unde necesse est,  
ut qui per suam iniquitatem extinctus est, per spem  
misericordiae reviviscat. Porta ad Meridiem est Caritas,  
quia igne amoris ardet. In Meridiana etenim porta Sol  
in altum ducitur, quia per caritatis lumen fide in Dei  
& proximi dilectione sublevatur. Et in his tribus por-  
tis per fidem & spem, atque caritatem ad gaudia semi-  
piterna pervenitur. Hæc igitur dixi, quia per portam  
significare Dominum vel prædicatores, vel Scripturam  
Sacram, vel fidem exposui; & ubicumque jam hoc li-  
bro porta legitur, signare aliud non credatur. Cum enim  
de una porta diutius loqueretur, recte fides intellecta  
est, quia una est electorum omnium fides. Cum verò  
alii portæ nominantur, intelligi ora prædicatorum  
possunt, per quorum linguam vera vita cognoscitur, &  
per quos ascenditur ad sacramentorum spiritualium  
cognitionem. Porro unum stadium quod centum qua-  
draginta tribus porrigitur passibus, perfectionem Sanc-  
torum & dexteræ partis fidem in centenario continet nu-  
mero. In quadragenatio autem quadrifidam Evangelis-  
tarum doctrinam, plenissimum legis decalogum, intel-  
ligi volunt contineri. In tribus Trinitatis esse myste-  
rium. Igitur cum stadia quæ supersunt nobis, ut duode-  
cim compleamus, ad se trahant rationabilium mentium  
intellectum ad disciplinam fidei Dominicæ sub hoc nu-  
merorum sacramento, quod diximus posse concurrere,  
ut in civitatis Dei mensura valeat numerari; similiter  
quinque stadia, quæ septingentis quindecim passibus  
extenduntur, centies centeni fiunt, ut perfectorum nor-  
mag, in præsenti mundi persistere possint extendere  
hebdomadam. Siquidem sex diebus fecit Deus cælum &  
terrā, & septimo requievit ab operibus suis. Et sep-  
tem

tem diebus mundum constare videmus. Quia Dominus in Evangelio de die novissimo dicit: *Orate, ne fiat fuga vestra byeme, vel Sabbato.* Qui numerus facit, ut septies repetitus *centum*, ostendat omnem Sanctorum plenitudinem in hac hebdomada, qua mundus constat, prædictæ fidei sacramento concrescere. Ter quini autem, qui supersunt, significant in Domino nostro Jesu Christo plenitudinem divinitatis. Sicut dicit Apostolus: *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Et ideo quinque in tribus divisis partibus supra humanos sensus, supra omnem intelligentiam adsumptum hominem Dominum nostrum Jesum Christum manere demonstrat, ne quis præsumat exceptionem carnis consimilem nobis in illo sentire, sed ut ipsam carnem supra omne dignissimum corpus, supra omnem Sanctorum intelligentiam refusuisse cognosceres, quia in ipso plenitudo divinitatis est. Sicut ille dicit: *Ego in Patre, & Pater in me est;* & in quo tanta virtus est, nihil erit coæquale mortalibus. Tamen etsi exæquari propter carnis adsumptionem dicatur, sic supra omnem carnem esse credendus est, quia dicit Apostolus: *Etsi novimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus;* ne forte extenderemus nos quasi communem hominem contemplari.

*Mattb.  
24.v.20.*

*Colos. 2.  
v. 9.*

*Joan. 14.  
v. 10.*

*Malach.  
3.19.  
21.10.  
Ex Greg.  
in Job  
lib. 18.  
num. 77.*

*Cor. 5.  
v. 16.*

*Muri autem & civitas aurum mundum, simile vitro mundo.* Auri namque metallum novimus melius metallis omnibus claritate fulgere: vitri vero naturæ est, ut extrinsecus visum, pura intrinsecus perspicuitate perluceat. In alio metallo non videtur quidquid intrinsecus continetur: in vitro vero quilibet liquor qualis continetur interius, talis exterius demonstratur, atque, ut ita dixerim, omnis liquor in vitro vasculo clausus patet. Quid ergo aliud in auro vel vitro accipimus,

mus , nisi illam supernam patriam , illam beatorum ci-  
vium societatem , quorum corda sibi invicem & cla-  
ritate fulgent , & puritate translucent ? Quam Joannes  
in hoc Apocalysi conspexerat , cum dicebat : *Et  
erant in structura muri ejus jaspides : ipsa verò ci-  
vitas aurum mundum , simile vitro mundo :* quia enim  
Sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate ful-  
gebunt , instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa eorum  
claritas vicissim sibi in alternis cordibus patet , & cum  
uniuscujusque vultus adtenditur , simul & conscientia  
penetratur , hoc ipsum aurum simile vitro mundo esse  
memoratur. Ibi quippe uniuscujusque mentem ab alte-  
rius oculis membrorum corpulentia non abscondit ; sed  
patebit animus corporalibus oculis , ipsa etiam corpo-  
ris harmonia. Sicque unusquisque tunc erit conspicabilis  
alteri sicut nunc esse non potest conspicabilis si-  
bi. Nunc autem corda nostra , quandiu in hac vita su-  
mus , quia ab altero in alterum videri non possunt,  
non intra vitrea , sed intra lutea vascula concludun-  
tur.

*Psal. 68. 2. 15.* Ut Propheta ait : *Eripe me de luto.* Illic enim  
Sancta Ecclesia auro vitroque describitur : in auro cla-  
ra , in vitro perspicua. Sed quamvis in ea Sancti om-  
nes tanta claritate fulgeant , tanta perspicuitate per-  
lueant , Christo adæquari non possunt. Ad hoc enim  
omnes ad illa gaudia æterna pervenient , ut Deo si-  
*1. Joan. 3. 2.* miles esse possint. Sicut scriptum est : *Cum apparuerit , similes ei erimus , quoniam videbimus eum sicuti*  
*Psal. 88. 2. 7.* *est.* Et tamen scriptum est : *Quis similis Deo inter filios Dei ?* Dicamus ergo : Unde erunt Sancti similes  
Christo , & unde non similes , nisi quia huic sapien-  
tiæ & similes erunt ad imaginem , & tamen non erunt  
similes ad æqualitatem ? Aspicio quippe æternita-  
tem Dei fit eis ut æterni sint ; & dum visionis ejus do-

num percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur quod vident. Et similes ergo sunt, qui beati fuerint; & tamen creatori similes non sunt, quia creaturæ sunt. Et habent itaque quādam Dei similitudinem, quia non habent finem: & tamen incircumscripti Dei æquallatatem non habent, quia habent circumscriptionem. Quam talibet Sancti claritate & perspicuitate fulgeant, aliud homines esse sapientes in Deo, atque aliud est esse hominem sapientiam Dei: quam profecto sapientiam ille veraciter agnovit, qui mediatori Dei & hominum aliquem comparare Sanctorum minime præsumpsit. *Et mensus est murum ejus CXL quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est Angeli.* In ipso nunc muro nobis intro inspicienda mensura est. Murus enim civitatis ejus Dominus noster Jesus Christus est. Quem mensus est mensura hominis, id est, Christi, quia ad protectionem Sanctorum, ad munimen totius beatitudinis, homo proficit adsumptus. Ideo *mensura ipsa hominis quæ est Angeli* dicitur, quia ipse est Angelus Testamenti, de quo dicitur: *Veniet repente in templum suum Dominus, quem vos queritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis.* Quod in centum XLIII cubitis altitudo ejus erigitur, quid sacramenti contineat, videamus. Centum enim decadibus decem collectum, ad patris dexteram transiit. Unde omnem plenitudinem Sanctorum, omnemque justitiam, quæ expletione decalogi & Evangelii vaticinio consummatur, in dextera Domini nostri Jesu Christi contineri beatissime demonstratur. (1)

(1) Burgensis hic Codex addit: Item Jeronymus, quæ desunt in *Æ mil.*

[DE PLATEIS, FLUMINE, PORTIS &c.]

**N**unc verò quæ prolixè diximus , aperte & brevi-  
ter declaremus : Civitatem verò quam dicit au-  
ro & pretiosis resplendere lapidibus , & plateam stra-  
tam , & flumen per medium , & vitæ lignum ex ultra-  
que parte faciens fructus duodecim per duodecim men-  
ses , & Solis lumen ibi non esse , quia Agnus est lux  
eius ; & portas ejus de singulis margaritis , ternas por-  
tas ex quatuor partibus , & claudi non posse.

### I N T E R P R E T A T I O .

**C**ivitatem quadratam Sanctorum adunata turba os-  
tendit , in quibus nullo modo fides fluctuare po-  
tuit ; sicut ad Noe præcipitur , ut ex quadratis lignis  
faceret arcam , quæ diluvii posset impetus ferre. Pre-  
tiosos lapides , fortes in persecutione viros ostendit ,  
qui nec potestate persecutorum moveri , nec impetu  
pluviaæ à vera fide dissolvi potuerunt. Propterea au-  
rum mundum sociatur , ex quibus Regis magni civi-  
tas decoretur. Plateæ verò , eorum ostenduntur corda ab omnibus mundata sordibus , ubi deambulet Domi-  
nus. Flumen verò , vitæ spiritualis nativitatis currere  
gratiam ostendit. Lignum vitæ ex utraque ripa , Chris-  
ti secundum carnem ostendit adventum : quem ventu-  
rum & passurum vetus lex prædixit , & Evangelium  
manifestavit. Fructus verò duodecim per singulos men-  
ses , duodecim Apostolorum diversæ gratiæ ostendun-  
tur : quam ab uno ligno crucis suscipientes , po-  
pulos fame consumptos , verbi Dei prædicatione sa-  
tient. Et quia dicit in civitate Solem non esse , neces-  
sa-

sarium evidenter ostendit, cretorem lumen, immaculatum, fulgere in medio ejus: cuius splendorem nullus poterit sensus cogitare, nec lingua proloqui. Ex quatuor partibus portas quod dicit ternas esse positas, & singulas margaritas, ostendunt quatuor habitatores esse virtutes, Prudentiam, Fortitudinem, Justitiam, & Temperantiam, quae invicem sibi haerent; & dum mutuo miscentur, duodenarium efficiunt numerum. Portas vero duodecim, Apostolorum esse credimus numerum. Quia in quatuor virtutibus, ut pretiosae margaritae fulgentes, inter Sanctos lumen doctrinæ suæ manifestantes, ad civitatem Sanctorum ingredi faciunt; unde conversatione eorum, Angelorum lætentur chorii. Quod vero dicit, non posse claudi portas evidenter ostenditur nulla contradictionum tempestate Apostolorum doctrinam superari, etiamsi fluctus gentium & haereticorum insana superstitione, dum à fide vera fuerint separati, eorum spuma dissolvantur. Quia petra Christus est, à quo & per quem Ecclesia fundatur, nullis fluctibus insanientium hominum superatur. Ergo, ut supra diximus, audiendi non sunt qui mille annorum regnum terrenum Ecclesiam esse confirmant, qui cum Cerinto haeretico sentiunt. *Et folia ligni in curationem gentium.* Ostendit plenius ubi, & quae sit ista civitas. Non enim post mundum aliquæ gentes curabuntur. Folia ligni vestitus est ex cruce; quod præfigurabatur in primis hominibus, qui de foliis arboris nuditatem suam tegere tentaverunt. *Et omnis languor non erit adhuc.* Sic & in Numeris prædictum est: *Non erit gemitus in Jacob, neque videbitur dolor in Israel. Dominus est cum eis, præclarum est principium in eis.* Deus qui ejecit eos ex mundi istius Ægypto, sicut gloria unius ei, & neque in-

Num. 23.  
v. 21.

*fimitates erunt in Jacob & Israel. Sequitur & dicit:*

*Vers. 23. Non enim est augurium in Jacob, neque divinatio in Israel, utique in Ecclesia non erunt idola, quia nox diabolus præcessit, & ignorantia cœcitatatis abiit, & dies Christus adpropinquavit. Thronus Dei & Agni in ea erit. Thronus Dei sedes Dei est, id est, Ecclesia,*

*Psal. 44. Psalmista adtestante, qui ait: Sedes tua Deus in sæculum sæculi: utique amodo & usque in sæculum sæculi. Et servi ejus servient ei. Et videbunt faciem ejus. Similiter à nunc & in æternum, sicut Dominus*

*Joan. 14. dicit: Qui me videt, videt & Patrem. Et, felices v. 9. mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et nomen Matth. 5. ejus in frontibus eorum. Et nox non erit amplius, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus inluminat eos, & regnabunt cum eo in sæcula sæculorum. Omnia hæc à Domini passione coeperunt, permiscendo utrumque tempus, præsens, & futurum. Explicit explanatio civitatis Jerusalem.*

## INCIPIT HISTORIA FINIS HUJUS LIBRI.

*Cap. XXII.  
v. 8.*

**T**IN hoc fine libri Joannes dicit cecidisse ad pedes Angeli, gratias agens pro qua re tanta ei ostendit: significans quod cui Dominus sacramenta scripturarum ostendit, humilis ad pedes Angeli, id est, ejus scripturæ nuncii, in exemplum alterius primus cadere debet. Et utique Angelus Nuncius dicitur & Scriptura Nuncius est, & Angelus nuncupatur. Sic enim in Ecclesia legitur, *lectio Sancti Evangelii. Eu* bonum dicitur; Angelum adnuntiatio: quod latine dicitur sub uno, *bona-adnuntiatio*. Joannes vero, qui ad pedes Angeli cecidit, homo erat, & omnes Santos signifi-

cavit. Iste Angelus specialiter Angelus erat, in quo Dominus præsidens loquebatur. Qui & nunc per Sacerdotes loquitur. Quia omnes servi Dei, Reges & Sacerdotes dicuntur, sicut scriptum est: *Lavit nos à peccatis nostris, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & Patri suo: ipsi gloria in sæcula sæculorum.* In hoc fine libri Sacerdotes die noctuque mandat adnuntiare, & pœnitentiam populo prædicare; & in duabus civitatibus, id est, Dei & diaboli, uni gloriam, alteri supplicia aperte nuntient, *cito advenire;* & *hæc verba vera & fidelissima esse;* & non jam clausa. Sicut in prima dixerat parte: *Signa quæ loquuta sunt septem tonitrua;* jam in ultimo libro dicit: *Ne signaveris;* ac si diceret: Etsi antea non cognoverunt, in finem mundi cognoscant. Ecce jam finis mundi est, & Dominus citò veniet, & *unicuique secundum opera sua reddet,* & omnes malos à sua civitate expellet, & omnes qui librum hunc non observaverint, vel fecerint, vel crediderint quæ in eo scripta sunt. Si quis intelligens non adnuntiaverit, eum de libro vitæ cum maledictione expellens, & damnans, judicabit. Sicut nunc per historiam apertissimè declaravit. *Hæc historia prima.* "Et dixit mihi: Sermones hi fideles, & veri sunt. Et Dominus Spirituum Prophetarum misit Angelum suum ostendere servis suis quæ oportet fieri cito. Beatus qui servat sermones prophetiæ libri hujus. Et cum audissem & vidi sem eum, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi ostendebat hæc. Et dixit mihi: Vide ne feceris; conservus enim tuus sum, & fratum tuorum, servantium sermones libri hujus. Deum adora. Et dixit mihi: Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus; tempus enim proximum est. Qui injustus est, iniquitate faciat adhuc: & sordidus sordescat adhuc: justus

*Cap. 1.**v. 5.**Cap. 10.**v. 4.**Cap. 22.**v. 10.**Cap. 21.**v. 5. &**22. v. 6.*

„tus justitiam faciat adhuc , & sanctus sanctificetur ad-  
 „huc. Ecce venio citò , & merces mea mecum , redde-  
 „re unicuique sicut opus ejus erit. Ego sum A & Ω,  
 „primus & novissimus , initium & finis. Beati qui ser-  
 „vant mandata mea ; ut sit potestas eorum super lig-  
 „num vitæ , & per portas intrent in civitatem sanctam.  
 „Foris canes , & benefici , & fornicarii , & homicidæ , &  
 „idolorum cultores , & omnis amans & faciens menda-  
 „cium. Ego Jesus misi Angelum testificari vobis hæc  
 „in Ecclesiis. Ego sum radix & genus David , stella  
 „splendida & matutina. Et spiritus & sponsa dicunt,  
 „Veni. Et qui audit , dicat Veni. Et qui sitit , veniat;  
 „& qui vult , accipiat aquam vitæ gratis. Testor ego  
 „omni audienti sermones prophetæ libri hujus : Si quis  
 „adposuerit ad eos , adponet Deus super eum plagas  
 „scriptas in libro hoc. Et si quis Dempserit à sermoni-  
 „bus prophetæ ejusdem , adimet Deus partem ejus de  
 „libro vitæ , & ex civitate sancta , scripta in libro hoc.  
 „Dicit qui testificatur hoc : Etiam venio citò : Veni Do-  
 „mine Jesu Christe. Deo gratias. Gratia Domini nostri  
 „Jesu Christi cum omnibus. Amen.” *Explicit.*

Hæc suprascripta historia maxime ut sonat , sim-  
 pliciter & secundum litteram intelligenda est : quia  
 jam supra cuncta explanata sunt , & congruum non est,  
 ut ea quæ semel , ut à sæculo exponentes diximus , sæ-  
 pius replicemus. Sed ex ipsis clausa audientur , quæ ca-  
 ritati vestræ exponamus præ ceteris finis libri , in quo  
 maledictionem sonasse cognoscimus. Ne , quod absit ,  
 simplices simpliciter intelligendo erroris patientur scan-  
 dala , aut desperationis lapsum incurant. Ut , quem  
 hic maledicit , si non cognoverint , quis sit ; à recto  
 tramite deviantes , offendant. *Explicit.*

**INCIPIT BREVIS EXPLANATIO**  
suprascriptæ historiæ.

**A**ngelum quem dicit cuncta Joanni ostendere, quem Joannes adorans ante pedes caderet, certissime Angelus erat. In initio libri dixerat ipse Angelus, cum Joannes ante pedes caderet tamquam mortuus, dicit imposuisse manum suam dexteram super eum, & auidit : *Noli timere : Ego sum primus & novissimus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum.* Postea verò ante pedes ejus Angeli cecidisse memoratur ; & hoc in decimo libro plenissime explanavimus. Dicit enim : *Cum cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum, ait mihi : Vide ne feceris. Conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora.* In initio libri dixerat : *Ego sum primus & novissimus, & fui mortuus.* In decimo verò libro dicit : *Conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu.* Hic autem in fine libri dicit : *Cum audissem & vidi essem eum, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi ostendebat hæc.* Et dixit mihi : *Vide ne feceris : Conservus tuus sum, & fratrum tuorum servantium sermones libri hujus. Deum adora.* Quod supra dixerat, repetivit. Ostendit Angelum missum esse in figura Domini & Ecclesiæ, cum & ibi dicat : *Ego sum Jesus : misi Angelum meum testificari hæc in Ecclesiis.* Nam testimonium Jesu est spiritus prophetiæ: quidquid enim spiritus Dei prophetice dixit, testimonium est Jesu, quia habet Jesus testimonium à lege & Prophetis. Sic enim lector ex voce Domini in Ecclesia legit : *Ego sum Dominus Deus vester.* Qui cum hæc

hæc dicit, non pro se, sed pro Domino dicit; & tamen quasi pro se dicit, & veritatis regulam non deserit. Ita intelligendum est, dixisse Angelum Joanni.

Quod autem dixit: *Ne signaveris verba prophetiæ hujus*, duobus locis intelligendum est. Supra in quinto libro dictum est: *Signa quæ loquuta sunt septem tonitrua*, & ne ea scripseris; hic verò in fine libri dicit: *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus*; *tempus enim proximum est*. Qui *injustus est*, *injuste faciat adbuc*; & *sordidus*, *sordescat adbuc*. Isti sunt, propter quos dixerat: *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua*: Acsi diceret: Legant libros, & non intelligent, quia in sordibus vivunt. De Sanctis dicit: *Justus, justitiam faciat adbuc*; & *Sanctus, sanctificetur adbuc*. Isti sunt, propter quos in fine libri dixit: *Ne signaveris verba prophetiæ hujus*: Acsi aperte diceret: Isti legant libros, & intelligent; & quod intellexerint, faciant, quia justi sunt, id est, sine malitia sunt, & in caritate sunt, & ideo in sanctitate crescant adhuc. Ita è contrario sordidi pro qua re in sordibus vivunt, legentes non intelligent, sed in sordibus crescant, & impietatem suam compleant adhuc in eo quod amant. Aliter autem hæc intelligenda sunt de initio Ecclesiæ & fine. In priore parte quod dicit: *Signa quæ loquuta sunt septem tonitrua*, & in fine libri præcepit dicens: *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus*, significavit, quia quidquid in Sanctæ Ecclesiæ initii latuit, finis quotidie ostendit. Sicut uniuscujsque hominis, sic Ecclesiæ ætas describitur. Parvula quippe tunc erat, cum à nativitate recens verbum vitæ prædicare non poterat. Adolescentula verò Ecclesia dicitur, sicut scrip-

*Cant. 1. v. 2.* tum est: *Adolescentulæ dilexerunt te. Universæ quippe Ec-*

Ecclesiæ , quæ unam Catholicam faciunt , adolescentulæ vocantur : non ita vetustæ per culpam , sed novellæ per gratiam. Adulta verò Ecclesia dicitur , quando Dei verbo copulata , sancto repleta spiritu , per prædicationis ministerium in filiorum conceptione fœtatur ; quia , quos exhortando & prædicando concipit , convertendo parit. Quos prædicatione reducit ; tunc concipit ; & , cum ad pœnitentiam publice venerint , conversos parit. Quod verò servantibus , beatis , potestatem super lignum vitæ dare , & per portas in civitatem sanctam intrare promittit ; ipsi sunt , qui per illas portas ingrediuntur , id est , Patriarcharum , Prophetarum , & Apostolorum , & omnium Sanctorum ; per quorum exempla ad unam portam veniunt , quæ est Dominus Jesus Christus : & ipsi Sancti sunt portæ , & ipsi Ecclesia , & ipsi sancta civitas Jerusalem. Per portas has non intrat mendacium , nisi solum veritas : quia mendacibus clausæ sunt. Iстis signatus est liber : istis signata sunt septem tonitrua. De quibus sequitur , & dicit : *Foris canes , & benefici , & fornicarii , & homicidæ , & idolorum cultores , & omnis amans & faciens mendacium.* Iстi per has portas non ingrediuntur ; & istæ portæ hodie sunt quia ora prædicatorum sunt ; & per ipsorum prædicationem ad vitam beatam non ingrediuntur. Et qui nobis prædictant verbis , & in opere ostendunt exemplis , hos audiendo , & sequendo , portas habeamus : ita è contrario mali doctores portæ inferni sunt , quia per eorum vitam atque doctrinam , qui eos obaudient atque imitantur , non ad civitatem cælestem , sed ad civitatem diaboli trahuntur , & in æterno supplicio merguntur. Et hæ utræque portæ civitatis Dei , & civitatis diaboli , apertæ stant , & die & nocte non clauden-

*Ps. 117. v. 24.* dentur , id est , die & nocte prædicant : in die prædicant Sancti qui in lumine sunt , id est , in sapientia sunt. De qua die dictum est : *Hic est dies quem fecit Dominus , exultemus & jocundemur in eo.* In nocte prædicant hypocritæ , hæretici , schismatici , & pseudosacerdotes , qui non pro lucro animarum , sed pro suo lucro honores concupiscunt , & in ignorantia cætitatis ambulant. Ipsi portæ apertæ in nocte dicuntur ; quia sicut sapientiam diximus lumen , ita & ignorantiam dicimus tenebras. Pro ipsis dicit Dominus : *Foris canes.* Canes dicuntur , quia quasi gregem dominicum servare videntur ; & merito canes , quia post fidem baptismi & gratiam ad vomitum peccatorum suorum revertuntur : & super hæc mala Scripturas interpolant , ut omnes ad suam vitam sordidam quasi prædicando adducant. Et non secundum veritatem prædicant , sed secundum quod vivunt ; quia unusquisque legens , ibi intelligendo sensum advertit , ubi vivendo oculum cordis tenuerit ; & ubi cor suum est , ibi & thesaurus cordis sui.

*Psal. 33. v. 12.* Semper enim *Spiritus & sponsa dicunt : Veni* ; utique *Spiritus & sponsa capiti suo* , quia sponsa Ecclesia est , quæ semper clamat : *Venite filii , audite me ; timorem Domini docebo vos.* Venire enim credere est. *Et qui sitit , veniat ; & qui vult , accipiat aquam vitae gratis :* id est , qui voluerit , veniat ; credit , & baptizetur in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti ; & non solum in aqua , sed etiam in morte Christi. Qui audiunt , quamvis non omnes legunt , quibus ita Dominus dicit : *Testor ego omni audienti sermones prophetiae libri hujus : Si quis addiderit ad ea , addet Deus super eum plagas scriptas in libro hoc.* *Et si quis dempserit à sermonibus prophetiae ejusdem*

dem adimet Deus partem ejus de libro vitæ , & ex civitate sancta , scripta in libro hoc . Dicit qui testificatur hoc . Civitas sancta Ecclesia est ; & sive bona , sive mala in hoc libro scripta sunt , ibi suppliciorum pœna : ibi gaudia sempiterna . Testes sunt , ipsi librorum Scriptores , qui legem & Evangelium testificantur Domino Jesu Christo , qui est testis fidelis . Mendaces verò addent , & minuent verba prophetiæ hujus ; quos supra canes , & beneficos diximus . Pro ipsis hæc maledictio est . Et hæc propter ipsis infalsatores dixit ; non pro eis , qui simpliciter quod sentiunt dicunt . In nullo prophetia mutilata , sed verba eorum fide & opere sunt plena . Ipsi Dominus dicit : *Etiam venio cito* . Et illi dicunt : Amen . *Veni Domine Domine Jesu Christe . Deo gratias . Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus . Amen.*

## F I N I S.



# SACRÆ SCRIPTURÆ

## Testimonia , de quibus præcipue sermo.

### Genesis.

Genes. i. v. 1. In principio creavit Deus cælum & terram. pag. 331.

v. 3. Fiat lux. 333.

v. 26. Faciamus hominem ad imaginem &c. 333. 338.

3. v. 14. Super pectus tuum gradieris. 113. 376.

4. v. 11. Terra aperuit os suum accipere sanguinem fratris tui. 149.

11. v. 7. Venite descendamus, & confundamus linguam eorum. 303.

15. v. 9. Accipe tibi vaccam triennem, & capram &c. 328.

19. v. 20. Est civitas hæc juxta &c. 156.

27. v. 27. Odor filii mei &c. 269.

28. v. 13. Deus Abraham, Deus Isaac &c. 339.

49. v. 16. Dan judicabit populum suum. 68.

Exodi.

Exod. 8. v. 19. Digitus Dei est bic. 158.

### Numerorum.

Num. 24. v. 16. Qui cadens apertos habet oculos. 171.

Jobi.

Job. 1. v. 7. Unde venis? circuvi terram. 302.

3. v. 9. Obscurerunt stellæ caligine ejus. 371.

10. v. 22. Terram misericordie & tenebrarum. 195.

21. v. 33. Post se omnem hominem trahit. 212.

30. v. 29. Frater fui draconum. 197.

31. v. 8. Seram, & aliis comedat. 64.

v. 25. Si lætatus sum in multis divitiis &c. 370.

36. v. 6. Non salvat impios. 361.

38. v. 2. Involvens sententias sermonibus imperitis. 469.

39. v. 34. Manum meam ponam super os meum. 253.

Psalmorum.

Psalm. 1. v. 5. Non resurgent impii in judicio. 362.

8. v. 3. Ut destruas inimicum  
& defensorem. 445.
9. v. 17. Desiderium cordis  
eorum exaudiuit Dominus. 304.
17. v. 12. Tenebrosa aqua in  
nubibus. 133. 267.
18. v. 3. Dies diei erubat ver-  
bum. 130.
29. v. 6. Ad vesperum demo-  
rabitur fletus. 329.
31. v. 1. Beati quorum remis-  
sa sunt iniquitates. 253.  
311.
35. v. 9. Inebriabuntur ab  
ubertate domus tuæ. 190.
44. Audi filia, & vide &c.  
fere per totum. 123.
49. v. 20. Sedens adversus  
fratrem tuum &c. 180.
50. v. 8. Occulta sapientiae  
tuæ. 175.
61. v. 12. Semel locutus est  
Deus. 324. 233.
81. v. 6. Ego dixi, Dii estis,  
339.
90. v. 13. Super aspidem &  
basiliscum ambulabis.  
114. 413.
100. v. 6. Ambulans in via im-  
maculata. 141.
103. v. 2. Extendens cælum  
sicut pellem. 386.
- v. 3. Ponit nubem ascensum  
suum. 235.
138. v. 18. Dinumerabo eos,  
& super arenam multi-  
plicabuntur. 350.
- v. 21. Qui te oderunt Deus  
oderam. 170.
- Proverbiorum.
- Prov. 8. v. 20. Inter semitas  
justorum. 54.
20. v. 10. Pondus & pondus,  
256.
24. v. 16. Septies cadit jus-  
tus. 207.
27. v. 2. Laudent te alieni.  
168.
- Ecclesiastes.
- Eccles. 11. v. 2. Da partem  
septem, & octo. 134.
- Sapientiae.
- Sap. 1. v. 7. Spiritus Domini  
replevit orbem. 39.
11. v. 21. Omnia in mensura,  
& numero &c. 325.
- Ecclesiastici.
- Eccli. 7. v. 40. Memorare no-  
vissima tua. 325.
- Isaiæ.
- Isai. 2. v. 10. Intrate petram,  
& abscondite vos. 311.
5. v. 3. Judicate inter me &  
vineam meam. 55.
6. v. 1. Vidi Dominum seden-  
tem

- tem super solium. 341.
11. v. 2. *Spiritus sapientiae, & intellectus &c.* 41.  
225.
29. v. 7. *Erunt sicut somniantes.* 503.
29. v. 11. *Quasi verba voluntatis signati.* 469.
30. v. 21. *Audient verbum post tergum monentis.* 50.
40. v. 12. *Cælum palmo metitur.* 39.
- v. 31. *Mutabunt fortitudinem, & assument pennas ut aquilæ.* 353.
52. v. 11. *Qui fertis vasa Domini.* 55. 511.
53. v. 2. *Non habebat speciem.* 127.
65. v. 20. *Peccator centum annorum maledictus erit.* 356.
66. v. 1. *Cælum mibi sedes.* 39.  
Jeremiæ.
- Jerem. 23. v. 16. *Nolite audire verba Prophetarum.* 176.
- v. 24. *Cælum & terram ego impleo.* 39.  
Ezechielis.
- Ezech. 1. v. 10. *Facies hominis, & facies leonis.* 248.
- v. 13. *Quasi carbones ignis.* 238.
2. v. 6. *Cum scorpionibus habitas.* 168.
3. v. 9. *Duram faciem velut silicem.* 194.
10. v. 10. *Rota intra rotam.* 267.
13. v. 13. *Ira Domini sicut grando.* 488.  
Danielis.
- Dan. 7. v. 7. *Dentes ferreos habens.* 419.  
Osee.
- Ose. 5. v. 2. *Victimas in profundo deferebant.* 252.
10. v. 8. *Spinæ & tribuli ascendent super altaria eorum.* 313.  
Joel.
- Joel. 1. v. 4. *Residuum erucæ comedit locusta.* 120.
2. v. 4. *Sicut visus equorum facies eorum.* 299.
3. v. 2. *Judicabo populum in Valle Josaphat.* 343.
- v. 13. *Mittite falces, quoniam adest vindemia,* 459.  
Amos.
- Amos. 5. v. 18. *Dies Domini tenebrae.* 482.
- v. 21. *Odi dies festos vestros.* 483.  
Jo-

Jonas.

Jon. 3. v. 4. *Adhuc quadra-*  
*ginta dies, & Ninive*  
*subvertetur.* 324.

Michææ.

Mich. 5. v. 4. *Pascet in virtu-*  
*te gregem.* 502.

Sophoniæ.

Sophon. 1. v. 14. *Prope est*  
*dies Domini.* 484.

Aggæi.

Agg. 1. v. 6. *Seminastis mul-*  
*tum, & intulisti pa-*  
*rum.* 190.

2. v. 8. *Veniet desideratus*  
*cunctis gentibus.* 201.

Zachariæ.

Zach. 11. v. 12. *Statuerunt*  
*mercedem meam.* 61.

12. v. 10. *Videbunt in quem*  
*compunxerunt.* 44.

Evang. Matthæi.

Matth. 3. v. 7. *Progenies vipe-*  
*rarum.* 418.

5. v. 5. *Beati qui lugent.* 483.  
 v. 16. *Luceat lux vestra*

*coram hominibus.* 369.

v. 17. *Non veni solvere le-*  
*gem.* 131.

v. 23. *Cum offers munus*  
*tuum ad aram.* 301.

6. v. 22. *Si oculus tuus fuerit*  
*simplex.* 264.

7. v. 7. *Petite, & dabitur vo-*  
*bis.* 201.

v. 16. *A fructibus eorum*  
*cognoscetis.* 141.

8. v. 20. *Vulpes foveas ha-*  
*bent.* 430.

10. v. 27. *Quæ dico vobis in*  
*obscuro.* 267.

13. v. 8. *Cecidit in terram bo-*  
*nam.* 227.

v. 11. *Vobis datum est nos-*  
*se mysterium.* 175.

16. v. 16. *Tu es Christus Fi-*  
*lius Dei vivi.* 206.

v. 24. *Qui vult venire post*  
*me, abneget se.* 191.

18. v. 10. *Angeli eorum sem-*  
*per vident faciem Pa-*  
*tris.* 72.

23. v. 2. *Super cathedram*  
*Moysi sederunt.* 181.

v. 37. *Jerusalem, quæ oc-*  
*cidis Prophetas.* 155.

432. *Quoties volui con-*  
*gregare filios tuos sicut*  
*gallina.* 432.

24. v. 20. *Orate ne fiat fuga*  
*vestra hyeme vel Sabba-*  
*to.* 444.

v. 36. *De die illa & hora*  
*nemo scit.* 322.

v. 51. *Partem ejus cum hy-*  
*pocritis ponet.* 195.

25. v. 42. *Sitivi, & non dedisti mihi bibere.* 362.
26. v. 55. *Quasi ad latronem cum gladiis, & fustibus.* 329.
- Lucæ.
- Luc. 11. v. 3. *Panem nostrum quotidianum da nobis.*  
172.
12. v. 49. *Ignem veni mittere in terram.* 194.
17. v. 32. *Mementote uxoris Lot.* 156.
23. v. 28. *Nolite me plorare, sed vos.* 314.
24. v. 39. *Spiritus carnem & ossa non habet.* 332.
- Joannis.
- Joan. 1. v. 4. *Quod factum est, in ipso vita erat.* 332.
2. v. 7. *Implete hydrias aqua,*  
271.
6. v. 55. *Qui manducat meam carnem.* 150.
8. v. 44. *De patre diabolo estis.* 185.
9. v. 6. *Expuit in terram, & fecit lutum.* 221.
14. v. 6. *Ego sum via.* 173.
18. v. 28. *Non intraverunt in prætorium, ne contaminearentur.* 435.

Actorum.

- Actor. 12. v. 11. *Misit Dominus Angelum suum, & eripuit me.* 73.

Ad Romanos.

- Ad Rom. 9. v. 18. *Cui vult miseretur.* 173.

14. v. 7. *Nemo nostrum sibi vivit.* 142.

1. ad Corinth.

1. ad Cor. 1. v. 27. *Infirma mundi elegit.* 206.

3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere.* 349.

15. v. 20. *Christus primitæ dormientium.* 41.

- v. 33. *Corrumpt bonos mores colloquia mala.*  
199.

2. Ad Corinth.

2. Cor. 11. v. 14. *Satanas transfigurat se velut Angelum lucis.* 434.

Ad Philip.

- Ad Philip. 2. v. 6. *Non rapinam arbitratus est.* 42.

- v. 15. *In medio nationis prævæ.* 409.

- v. 21. *Omnis quæ sua sunt querunt.* 142.

Ad Colossens.

- Ad Colos. 2. v. 19. *Totum corpus per nexus & con-*  
*junc-*

- junctiones subministra-tum.* 272.  
2. Ad Thessal.  
2. Thessal. 2. v. 6. *Nunc quid detineat scitis.* 316.  
1. Ad Timoth.  
1. Tim. 5. v. 22. *Nemini citò manus imponas.* 147.  
Ad Titum.  
Ad Tit. 1. v. 16. *Confitentur se nosse Deum.* 154.  
2. v. 12. *Sobrie & pie vivamus.* 208.  
Ad Hebraeos.  
Hebr. 7. v. 26. *Pontifex sanctus, innocens &c.* 56.  
1. Petri.  
1. Petr. 2. v. 5. *Ut sitis lapides vivi.* 175.  
v. 22. *Peccatum non fecit, neque dolus inventus est.* 449.  
3. v. 20. *Ostio animæ salvæ factæ sunt.* 133.  
5. v. 4. *Princeps pastorum.* 56.  
2. Petri.  
2. Petr. 2. v. 22. *Canis rever-sus ad vomitum.* 173.  
Apocalypsis.  
Cuncta hujus libri capita in singulis reperies foliis ad frontem signata.  
Alia etiam Scripturæ Sacrae testimonia ex Indice rerum & verborum comperies: v.g. quæ ad Aram, quæ ad Palmas spectant, sub his verbis.

4

8

## INDEX

*RERUM ET VERBORUM.*

## A

- A Littera & O, pag. 44.  
 Abolla, vestis genus. 385.  
 Abyssus. 132. 372.  
 Acolyti. 101.  
 Acximæ. 439.  
 Ætates mundi. 321. 327.  
 Agnoitæ haeretici. 323.  
 Angeli Custodes. 72. Angelorum vocabula, & Ordines. 87. Angeli lux & dies. 333. Dies Angelici. *Ibi*.  
 Animalia quatuor. 242.  
 Annus quo scripsit Auctor. 322.  
 Antichristi Tribus. 68. Nomen. 108.  
 De eo Augustinus. 136. Ad circumcisio[n]em coget. 540. Desideria mulierum non cognoscet. 441. Ejus nomina. 443.  
 Apostoli. 94.  
 Aquæ sunt populi. 62. 121.  
 Ara. 358.  
 Aratrum, falx, gladius. 460.  
 Arca Noe. 54. Typus Ecclesiæ. 134.  
 De ea latè. 223.  
 Arcus in nubibus. 234.  
 Arrogans. 111.  
 Arundo. 390.  
 Assur. 403.  
 Aurichalcum. 60.

## B

- Babylon. 378.  
 Balaam doctrina. 82. 167.  
 Bestia. 115. 420.  
 Bilibris. 292.  
 Bosor. 379. 527.

## C

- Cælum Ecclesia. 231.  
 Candelabra. 53. 72. 271.  
 Canticum novum. 289.  
 Carbones & Lampades. 238.  
 Cathecumenus. 103.  
 Catholica Ecclesia. 84. 103.  
 Caudæ. 377. 381. 408.  
 Cherubim ex auro. 277.  
 Christus à Chrismate. 86.  
 Civitates duæ. 507. & seq. 527.  
 Clavis David. 71.  
 Cleros & Clerici. 99.  
 Colores variii. 330.  
 Collyrium. 220.  
 Coluber in via. 69.  
 Columba. 44. 228. 473.  
 Columna. 83.  
 Conjugium. 209.  
 Continens pro contento. 58.  
 Cophini. 296.  
 Cornua septem. 288. Cornua cem. 116. 288. 502.  
 Corvus. 134. 228.

## D

- Decem Reges & Cornua. 502.  
 Demostenes. 208.  
 Desertum. 75. 187. 411. 505.  
 Desperatio. 112.  
 Deuterosis. 131.  
 Dextera Domini. 62.  
 Diaconus. 192.  
 Dies & nox 24 horarum. 132.  
 Dii gentium. 192.  
 Dominica dies. 46.  
 Draco. 113.

## E

- Ecclesia, Sion, & Jerusalem. 85.  
122. Ecclesiæ membra. 192. Ecclesiæ nova. 216. Tres partes. 360.  
368.  
Elatus. 111.  
Elias. 394.  
Embolismi. 326.  
Emunctionia. 77.  
Enoch. 416.  
Episcopus quid? 78. 99. Ecclesiæ oculus. 192.  
De equis. 115. Equus roseus. 294.  
Esau & Jacob. 268.  
Evangelistæ quatuor. 242. 248.  
Exire. 465.

## F

- Falx acuta. 466.  
Fructus terrarum diversi. 262.

## G

- Gladius Dei. 63.  
Gog, & Magog. 538.

## H

- Hæreses. 108.  
Homo interius & exterius. 337.  
Hydriæ aquæ. 270.  
Hypocrita. 26. 110. 299. 308.

## I

- Idololatria spiritualis. 183.  
Idumæa. 527.  
Ignis. 195. 473. 474.  
Imago & similitudo. 338.  
Imperatores Cæsares. 438. 498. 539.  
Iris, seu Arcus. 234.  
Jacob & Esau. 268.  
Jezabel. 178.

## L

- Lana alba. 59.  
Lapides pretiosi. 234. 567.  
Latræ. 180.  
Levitæ. 101.  
Libanum. 178.  
Liber apertus. 284. Involutus. 385.  
470.  
Lignum vitæ. 151. 275. 567.  
Locum mutare volentes. 198.  
Locusta. 373.  
Loquutio Dei, & ad Deum. 302.  
Lot. 198.  
Lucerna. 76.  
Lupi. 428.  
Lutum & cera. 173.

## M

- Magistri dormientes. 65.  
Manillæ Domini. 56.  
Mare. 471.  
Martyres. 98.  
Meretrix. 489. & seq.  
Metropolitanus. 99.  
Millenarii. 532. 567.  
Monachus. 102.  
Mortes nostræ duæ. 320.  
De Muliere & Bestia. 120.  
Murus. 565.

## N

- Neophytus. 103.  
Nero Antichristus existimatus. 138.  
Nicolaitæ. 146.  
Ninivitæ. 324.  
Nubes alba. 456.  
Numeri. Quinque, decem, quinquaginta. 155. Centum quadraginta quatuor millia, & ali numeri. 319.  
Senarius numerus. 325. Numerorum scientia utilis. 325. Duodecim millia. 349. CXLIV. millia. p. 349. MCCLX. pag. 391. 412.  
DCLXVI. p. 442.  
Nuptiæ bonaæ. 335.

## O

Pro octava. 134.  
Oculi Demini. 59. Oculus interior.  
263.  
Olores. 269.  
Ozias Rex. 346.

## P

Palma. 266. 351. & seq.  
Palmo Cælum metire. 39.  
Palpebrae Domini. 60.  
Panis Cæli. 172.  
Paradisus. 148.  
Partes terræ. 297. Partes tres. 486.  
Patriarchæ. 91.  
Peccata iniquorum, & justorum. 208.  
210.

Peccator. 112.

Pedes purgati. 347.

Pennæ Sanctorum. 252.

Persecutiones Ecclesiæ. 162.

S. Petri corpus Romæ. 206.

Pharisæi. 131.

Plagæ Ægypti. 157.

Poderes vestis. 56.

Portæ. 560. & seq. 573.

Prædicatores nubes. 235. Lampades.

170. 179. 238.

Prævaricator. 113.

Presbyter. 100.

Prophetæ. 93.

Publicanus. 112.

De puto. 119.

## Q

Quinquagenarius numerus. 155.

## R

Rana. 158. 480.

Reges decem. 539.

Regna tria. 539. Quatuor. 408. Decem. 438.

Religio. 105.

Retro cadere, & in faciem suam. 69.

Rota intra rotam. 267. 468. Super terram. 268.

## S

Schisma. 110.  
Sciniphas. 158.  
Scorpiones. 373.  
Scriptura Sacra. 279.  
Scyphus. 171.  
Secta. 109.  
Septem capita, & septem montes. 496. Septem Principes. 502.  
Septenarius numerus. 38. 63.  
Sigilla libri. 285. 293.  
Silex. 194.  
Sion. 85. 450.  
Solis gloria. 67. Sol & Luna. 406.  
Spiritus Sancti multa nomina. 551.  
473. Dona. 558.  
Stadia 1600. pag. 461. 562.

Stare. 450.

Stellæ septem. 72.

Strutio. 197.

Stultus. 113.

Supersticio. 110.

Superbus. 112.

Symbolum. 129.

Synagoga. 106.

## T

Tabernaculum. 424.

Teitam, Sol. 442.

Templum Dei. 402.

Testamentum vetus, & novum. 274.

Vide *Ubera*.

Turibulum aureum. 358.

Torcular. 459.

Tritheitæ hæretici. 323.

## V

Vasa aurea & argentea. 55.

Ubera. 57.

De Vellere Agni. 330.

Venire Dei. 40.

Venti quatuor. 315.

Vinea Domini. 55.

Virgines quæ sint? 448. Virginis & uxoratæ comparatio. 335.

## Z

Zona aurea. 58.









9410